

sui partem, fœces, florē, & aqueam substantiã in se continere: olei item, lactis, aliorumq; succorum omnium eandem rationem esse. Et quanquam primo simplicium Galenus, ex mente quoq; Hippocratis Acetũ frigidum declaret: calefacere quidem: an verò per se, ambigũ sibi videri, vt minus sit tutum cõtrarias ipsi facultates permittere, cùm non liceat eius substantiam ad instar lactis, & aliorum in partes soluere constituentes: citato tamen quarto simpl. acetum quoq; ex contrariæ facultatis partibus, tum calidis tum frigidis cõponit: sicut vstorum lignorum cineres omnes: quibus præter terream frigidamq; portionem, ἐμπύρσμα quoddam, fomes nimirum igneus, valdeq; calidus per exiguas partes dispersus subsit, quem exuat affusa aqua, dum fit lixiuium, vt terreæ portiones solitariae permaneant. Idem, inquit, aceto contingit: quod ex acridine acori iuncta colligere possimus. Nam quod tantum est acidum, vt omphacium, vel aliud quippiam, id planè frigidum est: at cui acrimonia miscetur, eidem caliditatem inesse conijciendum

Cap. 17.

☉ 23.

2. de Diæt  
taAcetum  
calidum est  
eò frigidum

Cap. 3.